







ORDINIS ICTORVM  
 IN ACADEMIA VITEMBERGENSI  
 DECANVS  
 D. GODFR. LVDOVICVS  
 MENCKEN

P.P. COLLEGIORVM, QVAE VITEMBER-  
 GAE FLORENT, IVRIDICORVM, VT ET  
 CONSISTORII ECCLESIASTICI, NEC NON  
 IVDICII PROVINCIALIS IN MARCHIO-  
 NATV LVSATIAE INFERIORIS  
 ASSESSOR

*Lectoribus omnium Ordinum  
 Honoratissimis.*

S. P. D.



ORDINIS ICTORVM  
IN ACADEMIA VITENBERGENSI  
DECANVS  
D. GODFR. LUDOVIGVS  
MENCKEN

THE COLLEGE OF THE  
DOCTORS OF THE  
UNIVERSITY OF  
WITENBERG  
HALL

Librarian of the University of Wittenberg







**N**omina rerum ipsaque uerba a temporum uicissitudinibus uim ac potestatem suam recepisse, & non raro, quem ab origine habebant sensum, successu aevi perdidisse, quandoque tantum alterasse, quandoque etiam prorsus mutasse, quotidiana experientia fermocinantes ac scribentes edocet, et qui unius alteriusue uocis significarum ab ipsis incunabilis suis rimari ac perquirere suscipit, manu dictorum ueritatem deprehendit. Placet in praesentiarum tali labore defungi, et occasione formulae inuestiturae, in qua solius uocis Castri mentio facta est, et quam ab Imperatore Principi exhibitam esse praesumam, uocabuli CASTRI natales explorare, ac quid eodem notari sruerit, paucis perlustrare, cum uocum scrutatores et Iuris Interpretes suo dissensu uariam eius dari significationem sufficienter declarent. Capi nonnunquam solet Castri uox pro uilla aut pago, alioque loco, in quo plurium casarum est coniunctio, ROSENTHAL *de Feud. C. VI. Concl. 15. n. 39.* cui sensui, dubio procul, causam dederunt pagos incolentes, qui ad imitationem ciuitatum ad propellendas irruptiones, uillas suas muris circumdare sole-



solebant. Cum uero ideo non statim iura ciuitatis acquirerent, insigniti fuerunt nomine *Castrorum*, ut inter ea aliosque pagos uulgares seu uillas aliqua existeret differentia. *Nicol. LOSSAEVS de iure Vniuers.* p. 3. C. 13. n. 3. refert, castrum se ad instar ciuitatis habere, nec aliam differentiam obuenire, quam illam, quae inter ciuitatem paruam & magnam incedit. Pari ratione castella ab initio castris opponi sive, non alio sensu, quam, ut discrimen in amplitudine constitueretur, & uicus magnus conclusus, Castrum, uicus paruius, contra, muris sepius, Castellum cognominaretur. conf. *Petr. GREGOR. de Republica L. 2. C. 7. n. 8. Guilielm. MAYNERIVS in Comment. ad tit. ff. d. R. iur. p. 279. n. 9. 10.* Postquam uero non militum amplius praesidio relicta sunt castra, sed habitationi, & pro temporum conditione defensionis sustinendae magis magisque accommodata, imo ipsis Principibus Dominis suis recipiendis adaptata, uariisque incrementis & adiectis terris aucta, nihil, aut certe parum, de prima eua sua facie retinuerunt. Ipsum Principis palatium Castrum uoce significari, & ibidem obiri solita officia, *Castrum munia*, dici *L. 2. C. Theodos. de Tractor, Carol. du FRESNE in Glossario uerbo Castrorum nomine*, habet. Iure civili Castrum, numero multitudinis, locum significat; ubi milites tentoria figunt, a castris similitudine, quod fossa, ualloque cingi solet, quo sensu accipitur a *MODESTINO L. 3. §. 2. ff. de re milit.* Iure feudali sumitur pro loco, qui cum uariis iuribus, emolumentis ac pertinentiis uti uocant (mit allen Ein- und Zugehörungen) con-





confertur in feudum *I. F. 4. §. 3.* denotatque in inuestituris non modo arcem, sed & ciuitatem & totum districtum *a. l. 5. §. 15. ff. de nou. oper. nunc. RVIN. L. 2. Conf. ult. n. 17. ALCIAT. Conf. 230. n. 8. STRVV. in synt. iur. feud. C. 17. tb. 10. n. 3. & STRYCK. ad Compend. Lauterb. p. 571.* Adeoque castro nominato, non tantum id, quod muris terminatur, sed etiam contingentia aedificia, *C. si ciuitas 17. de sentent. excommun. 6.* nec minus ea, quae adiacent castro, sola tantum destinatione & usu patris familias, quo pertinent agri, molendina, quae tempore concessionis sunt castro adiecta, inuuntur. *L. 32. L. 33. ff. de Aedil. Edict. L. 8. pr. ff. de Legat. 1. Franciscus BVR SATVS L. 1. Conf. 2. n. 49. p. 16. Job. CEPHAL. L. 11. Conf. 183.* Hac ratione castrum, uniuersitatis nomen, recte dicitur, *BOERIVS Dec. 320. n. 2.*, considerata nempe uniuersitate bonorum & praediorum. Ideo *concesso castro cum pertinentiis*, curiae, & uasalli, *die Mannschafft* comprehenduntur, *Franciscus MARCVS Dec. 305. n. 27. p. 1. ALCIAT. L. 5. Conf. 22. n. 12.* imo ipsa subintelligenda uasallorum iurisdictio. *Hier. de MONTE Tr. de finib. regund. C. 80. n. 5. add. NATTA Consil. 405. n. 3. & 4. Carol. MOLIN. Consuet. Paris. Tit. 1. §. 1. Gl. 5. n. 47.* Eodem iure, castro in feudum concessio, etiam machinae, tormenta bellica, Artillerie, *Geschütz* / munition, concessa afferuntur *STRVV. Synt. iur. feud. C. 17. apb. 2. DEC. Conf. 516. n. 21. PANCIR. Vol. 7. Conf. 1. n. 91. PARIS. Vol. 1. Consil. 27. n. 14. ALCIAT. Conf. 487. n. 1.* Nec alia praesumptio capienda pro rebus, quae a possessore castri, post concessum feudum eo intuitu comparantur. Pertinentias enim inferens defendendi castri

E

castri



castri ergo, ipsi adpropriare uoluisse instrumenta tui-  
 tionis inferuentia, intelligendus. Hinc non male scri-  
 bit TIRAQUELL. §. 1. Gl. 7. n. 49. licet machinarum  
 bellicarum nulla fuerit mentio facta, nihilominus eas  
 comprehendit. Pariter BALDVS in l. f. ff. de Consti-  
 Princ. col. 2. uerb. *si princeps concedit mihi*, ex interpreta-  
 tione Legis 2. C. de bonis uacantibus concludit, castrum  
 sub suo ambitu Ciuitatem adiacentem, arma, & quae  
 ad munitionem pertinent, complecti, inque ipsis ter-  
 minis ita decidit. Idem sentit Tiber. DECIAN. Vol. 2.  
 Resp. 35. n. 30. Iurisdictio igitur, ut annexum Castri, ab  
 inuestito tali, in eo pertinentes terras inque personas  
 ad illud relatas, sine contradictione, exerceri potest.  
 BARTOLVS in L. 1. §. cum urbem, n. 5. ff. de offic. praef.  
 Dionys. GOTHOFER. in Consuetud. Aurel. Tit. 1. d. feud. p. 9.  
 Gloss. 1. In generali enim concessione ueniunt omnia,  
 quae expresse non sunt exempta, L. 1. §. 1. ff. de legat.  
 praest. contr. tab. L. ult. C. d. dot. promiss., generalisque  
 locutio de omnibus ad rem pertinentibus explicanda  
 est, L. 79. ff. de Legat. 3. L. 51. ff. de administr. tut. ZABAR-  
 RELLA Consil. 99. n. 2. uers. 4. Imo generalis mentio  
 idem operari dicitur quoad omnia, quod specialis quo-  
 ad singula. d. l. 79. §. 51. Scep. GRATIAN. Discept. forens.  
 Tom. 4. cap. 656. n. 30. Francisc. MARCI in Decision. qu. 391.  
 Nec obstat, ac si nobis obiici possit, iurisdictionem ter-  
 ritorio, non uni castro uel pago forte uideri inhaerere,  
 adeoque non transire, RIPA in L. 1. n. 55. ff. de uulg. &  
 pupill. substitut. REINKING. de Regim. secul. L. 1. cl. 4. c. 15.  
 n. 47. COCCCI. Disp. de bonis uacantibus. Quocumque  
 enim modo Castri possessor in iurisdictionis stetit exer-  
 citio, eodem, inuestitum alterum esse debere, uoluit  
 aut



aut noluisse credendus. Siquidem minus ius, atque ipse habuit, si transferre intenderit, id claris uerbis factum oportuerit, *c. f. §. 1. X. de offic. Archidiacon. Cap. cum personae. d. priuileg. 6. Cap. cum episcopus de offic. ordin. 6.* Ergo, his deficientibus, communis uerborum ualor in interpretatione uim suam exserit. Castrum enim suas, uel ex statutis, uel assignationibus Dominorum habet pertinentias per clarum *Cap. XV. X. de Restit. spoliat. & quemadmodum in L. 239. §. 8. ff. de uerb. sign. territorii uocabulum uniuersitatem agrorum intra fines cuiusque ciuitatis comprehendit, ac intra illos terrendi ius Magistratui conceditur, sic fortius castro suam debere iurisdictionem asseritur, maxime si ab Imperatore fuerit concessum. C. 1. §. indices X. de pac. tenend. L. 3. ff. de Const. Princip. SOCIN. Vol. 1. Conf. 47. IDEM. vol. 3. Consil. 745. Idem iudicium de translato, sub uoce Castris, Territorii iure ferendum est. Si enim territorium ipsi cohaesit, id quod in dubio praesumendum esse, contendunt, *BARTOL. ad L. 1. ff. de offic. praetor. Guid. PAPA Consil. 88. & illud non potest non extraditum intelligi per Cap. 7. X. de iure patronat. c. 15. X. de Restit. spoliat. l. 47. ff. de contrab. emt. L. 91. §. 5. ff. de legat. 3. L. 24. §. 1 ff. de legat. 1. L. 12. §. ult. ff. de act. emt. L. 41. §. 6. ff. d. leg. L. 3. C. de bon. uacant. ubi Dd. BALD. in l. 5. ff. de iust. & iur. ad uerb. collata CRAVETTA Vol. 3. Consil. 477. n. 4. KNIP-SCHILD. de iure Nobil. L. 3. C. 3. n. 455. Bartbol. de CAPVA singul. 60. p. 322. CASTRENS. Part. 1. Consil. 407. n. 4., CO-PARRVV. uar. quaeest. Tom. 2. c. 1. n. 10. NATTA Vol. 2. Consil. 339. BARTOLVS ad l. 1. §. cum urbem ff. de offic. praef. urb. Anton. CORSETTI singulari 231. Non contrarium nos mouet, quod iurisdictione dicatur posse esse sine ca-**



stro, & hoc sine illa, *MOLIN. Consuet. Paris. §. 1. gloss. n. 61. versic. ex quo consequitur & c. LOSAEVS de iure Vniuersit. p. 1. c. 2. n. 37.* adeoque secundum *KLOCK. Conf. 45. T. 1. n. 14.*, & qui eum sequuntur, distinguendum esse, an appareat, uafallos subfuisse iurisdictioni Castri, & hoc casu tum & illam concessam, credi posse, conf. *MENOCH. Praef. 91. n. 40. L. 3. BOER. qu. 50. n. 11.* Nos enim hoc ex abundanti moneri ac dici aimus, quandoquidem iurisdicō ac territorium an castri sit, hic non disquiritur, sed num per nominationem Castri una significetur? id quod affirmamus. Cum alias in confesso sit, quod rei non inest, cum ea non posse transferri. Progredior ad eam inuestiturae formulam, quae aperte *castri cum iurisdictione*, uel etiam *cum ea omnimoda mentionem* facit. Quod primam concernit, ut ex antecedentibus iudicari potest, ea, quae in superfluum inserta sunt formulis inuestiturae, nil noui addunt, sed enixiorem modo intentionem concedentis produunt. Equidem uariis rationibus in aduersum disputat *KNICHEN in Lib. de uesit. pact. P. 2. c. 1. 54.* & qui cum ipso faciunt *WESENB. Consil. 8. n. 68. SCHILTER. Introdūct. ad ius feud. c. 2. §. 10. MEYER. Syntagm. iur. feud. c. XI. apbor. 18.* Verum, cum iurisdictionem mero Imperio, Romano, iure, opponi, interpretationemque restrictiuam inuestituris explicandis adhibendam esse urgeant, hoc uero suo modo, ubi res est inter Principem ac subditum, hic non omnino disceptem, a differentia iurisdictionis ac meri Imperii uero ex iure Romano petita & hodie minus aequate ad Germaniam pertrahi, solita, argumentum desumptum non stringat, per supra allegatos iurium textus illam objectionem facile confici ac destrui puro. Sibi



Sibi igitur imputet Dominus, quod restrictionem non adiecerit, CARPZ. P. 2. Const. 40. Def. 4. add. in primis B. D. BEYERI Cent. 1. Them. ex uar. Iur. Select. Exerc. 3. tb. 2. DECIVS Consil. 512. n. 5. Stephan. RANCHINI in suis Decis. uoc. castrum artic. 6. p. 53. STRIC. I. F. Cap. 8. qu. 24. Quod secundum formulam attinet concessi castrum cum iurisdictione omnimoda, merum imperium concessum esse, arg. l. 109. ff. de legat. 1. recte affirmatur STRVV. in Tr. de feud. Cap. VI. apbor. 10. n. 4. SCHNEIDEWAIN d. feud. p. 2. n. 91. conf. GRAVE de inuest. tb. 30. MEV. P. 4. Dec. 290. Hinc plenissime inuestitum de castro etiam Primogeniturae ius ad se & suam, inuestiti familiam pertrahere posse, confirmant Iob. CEPHAL. L. 1. Conf. 1. n. 45. seq. BALD. Vol. 2. Conf. 468. SOCIN. Iur. L. 2. Conf. 106. n. 3. Nec remoratur sententiam l. 16. & 17. ff. de iurisd. ubi legitur, uerbis *omnis, uniuersa iurisdictione*, non contineri merum imperium. Nam illae leges, uniuersales locutiones pro substrata materia explicandas, adeoque & restringendas esse ad iurisdictionem Caesarum ciuiliam, seu mixtum imperium suppeditant, siquidem merum imperium praetor non habuerit. conf. L. 1 §. fin. ff. de suspect. tutor. Ex dictis nunc facile sequitur, *inuestiturae formulam de concessione castrum ab Imperatore Principi facta, loquentem, simplici Castrum nomine ac appellatione usurpata, omnia iura ac res Castrum, adeoque totum castrum districtum & quae intus uel exus jacent, designare, ac in inuestitum tali formula translata censeret*, eas uero, quae a Doctoribus depro-muntur ac afferuntur communiter inuestiturarum formulae, in quibus Territorii, Iurisdictionis, Ciuitatis ali-usue rei aut iuris, imo ipsarum pertinentiarum expressa legitur mentio, non maius quid continere aut infer-



re, nisi, quod concedentis mentem abundantius paulo  
 declarent. Amplius progressurum institutum interpel-  
 lat, cuius ergo principaliter animum ad scribendum ap-  
 pellere debui. Nimirum de genere, uita, eruditione, ac  
 perpolitus moribus Clarissimi Cand. nostri, Dn. GOT-  
 LOBERNESTI WERNERI, potiora recensenda ueniunt.

Ortum debet urbi totius Saxoniae principi Dres-  
 dae, quo celebratissimo in loco Ao. M DCC II. die XXX  
 Mart. primam aspexit lucem. Dedit Diuinum Numen  
 ei hoc insigne beneficium, quod non tantum in loco  
 praeclaro, uerum etiam clarissimis parentibus procre-  
 atus ac educatus est. Patrem namque habuit Dn. GO-  
 THOFREDVM ERNESTVM WERNERVM, cui  
**REX POLONIARVM POTENTISSIMVS,**  
*Dominus noster clementissimus,* Cameratae intimae cur-  
 ram concredidit, huius tamen praematurum ex hac  
 uita discessum superiori anno contingentem, grauissi-  
 me acerrimeque luget. Matrem, eamque per Dei gra-  
 tiam in hunc usque diem superstitem, quam & diuina  
 clementia quam diutissime seruet, ueneratur IOHAN-  
 NAM SOPHIAM, ex nobilissima gente FIBIGINO-  
 RVM prognatam, feminam omnibus sexus sui orna-  
 mentis condecoratam. Hi parentes primam curam in  
 filio suo aestumatissimo bene ac rite instituendo ac for-  
 mando figere non intermiserunt, atque probe gnari,  
 in iuuenili aetate domesticam inspectionem extraneae  
 longe esse praefendam, ilico, atque maturuit noster,  
 priuatim fidelissimorum summo cum studio exquisito-  
 rum praeceptorum manuuctioni eum commiserunt.  
 Cum uero posthaec eundem ita profecisse, ut altiora  
 iam



iam ardenti desiderio appeteret, obseruarent, iuueni-  
 lisque aetas, ex quo adolescere inceperat, ad aemulario-  
 nem prouissima appareret, nostrum, decimum quin-  
 tum aetatis annum agentem, adhibito eorum, qui eru-  
 diendi adolescentis scientiam perfecte tenebant, consilio,  
 in percelebrem Scholam Misnensem transmiserunt, in  
 qua per triennium commoratus, gauisusque inter cere-  
 ros suum in nostro excolendo rite facientes officium, est  
 informatione IOH. IAC. STÜBELII, Rectoris tunc tempo-  
 ris meritissimi, nunc uero beate defuncti, cuius fidem  
 ac dexteritatem in sui institutione probatam adhuc de-  
 praedicat Candidatus. Exacto hoc spatio, maturus ad  
 Academica capeffenda studia iudicatus, annis octodecim  
 maior Witebergam uenit, & in munerum ciuium no-  
 strorum receptus est, ubi primum uiribus omnibus con-  
 tentit, ut non modo matrem artium, Philosophiam, non  
 obiter tractaret. sed & se totum quasi illi traderet. Post,  
 ut medicarum rerum, quatenus earum scientia, Juris-  
 prudentiae salutaris est, non esset ignarus, Lectiones  
 medico-legales a Viro Excellentissimo atque experien-  
 tissimo Domino CHRISTIANO VATERO, Archiatro An-  
 haltino eiusdemque Principis Serenissimi Consiliario  
 Aulico, nec non Professore huius Academiae celebratif-  
 simo, habitas, sedulo frequentauit, debitamque attentio-  
 nem adhibuit. Imo eos fecit in hoc studiorum genere  
 progressus, ut sub eiusdem praesidio de *Infanticidii ius-*  
*putati signis diagnosticis*, publice disputaret, congruisque  
 suis responfionibus nec minus promtis, summam admi-  
 rationem excitaret. Iuris autem arti, quam finem sibi  
 studiorum praefixerat, indefessa opera se applicuit, scho-  
 lasque Viri Magnifici, Excellentissimique, D. IOH. BALTH.  
 WERN-



WERNHER, Jcti, Sacre Regiae Maiestati ac Electori Saxonie a Consiliis aulae et iustitiae, Facultatis Iuridicae Praefidis merittissimi ac spectatissimi, nec non reliquorum Iuris Antecessorum excellentissimorum. BASTINELLERI, de BERGER, SPENERI, KEMRICHII, atque KRAVSIJ, et nostras quoque diligenter sectatus est. Cursu studiorum successu non infelici confecto, ne sibi sapuisse tantum uideatur, sub incudem uocare suas in iure factas progressiones, uoluit, ut certior fieret, quid aliorum iudicio audere ualeat. Ideo in primo examine, quod, qui Candidaturae dignitatem ambiunt, subeunt, suas periclitatus est uires mense Augusto anni praeteriti, famam uero bonae eruditionis ipsi confirmauit noster ordo, dum ipsi hunc honorem cum laude annunciauit, & una uiam ad ulteriores capeffendos aperuit. Verum Genitoris sui honoratissimi suasu & nutu discessit Viteberga, & Dresdam se recepit. Vbi singulari fortunae ductu, gratiae Herois summi ILLVSTRISSIMI COMITIS DN. a WACKERBARTH, *Dynastiae in Gros et Klein Sedlitz etc. sacrae Regiae Maiestati Poloniarum ac Electori Saxonico, Domino nostro Potentissimo, ab inimicis status, belli ac iustitiae consiliis et reliqua, se insinuauit, et ab ipso commercio literarum cum exteris tractando adhibitus est.* Cui arduo negotio per totum annum non sine fructu uacauit; sed post coepit, de uia, a qua ante discesserat, reassumenda ac absoluenta meditari. Reuerfus igitur ad nos, examen, quod rigorosum uocant, sibi expetit, illudque strenue sustinuit, et, potestate impetrata, pro gradus Licentiatus honore capeffendo solenne specimen disputatorium, ut moris est, edendi, id nunc parat, ut, me Praefide, *Thema de probatione pertinentiarum feudalium, in Auditorio maiori proxime defendat;* Meum itaque est, Vos, *Rectorem Academiae Magnificum, Patres huius Almae Conscriptor,* omnesque, qui talibus institutis fauent, hisce compellare litteris, uelit actui huic celebri, qui ex Vestra praesentia maiorem splendorem expectat, haud grauatim interesse. Si simili redeunte officiorum periodo, aut alia quacunque ratione, hanc beneuolentiam demereri potero, promittitudinem seruitiorum datam occasionem anteuertisse, cognoscetis, Dabam Vitebergae Saxonum

D. Octobr. A. O. R. M DCC XXIII.



Wittenberg, Diss., 1723

ULB Halle

3

004 581 644











20

26

ORDINIS ICTORVM  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
DECANVS  
GODFR. LVDOVICVS  
MENCKEN

COLLEGIORVM, QVAE VITEMBER-  
E FLORENT, IVRIDICORVM, VT ET  
NSISTORII ECCLESIASTICI, NEC NON  
VDICII PROVINCIALIS IN MARCHIO-  
NATV LVSATIAE INFERIORIS  
ASSESSOR

*Lectoribus omnium Ordinum  
Honoratissimis.*

S. P. D.

